

Disputatio inauguralis medica de epilepsia ... / [Daniel Boess].

Contributors

Boess, Daniel, active 1683-1687.
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis Samuelis Krebsii, [1686]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mzrrujdb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. c. 5

A. OF LONDON 1741
I. N. I.
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA
E P P E S I A,

Jussu & autoritate

Illustris & Gratiostissimæ Facultatis Me-
dicæ in florentissima Academia Salana,

P R A E S I D E

AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO, D.

Anatoni. Chirurg. & Botanices Prof. Publ.

Archiatro & Facultatis Medicæ h. t. Decano,

Domino, Patrono & Præceptore suo
atatem observando,

PRO LICENTIA-

Summos in arte Medicâ Honores, Privilegia & Insignia Doctoralia,
MORE MAJORUM solenniter impetrandi,

publico Eruditorum examini submissa

IN AUDITORIO MAJORI,

horis ante & pomeridianis,

DANIELE BOESIO,

Regiomontano Borusso.


Ad d. XXX. Decembr. Ann. M DC LXXXVI.

JENÆ, Typis SAMUELIS KREBSII.

Concordia
Or

1630. secundum fol. 3. 2.

Dicitur. quod. non. nullum.



PROOEMIUM.

STUPENDUM & TERRIBILE NATURÆ PRO-
DUCTUM SUNT MOTUS TERRÆ. SANÈ NULLUS
ERIT, QUI NON AD EORUM INTUITUM INTIMÈ
MOVEATUR, & TERRÂ TREMENTE, TREMISCAT
& IPSE.

MACHINÂ ENIM EJUS TAM LONGÈ LATÈQUE PROTENSÂ,
FLUCTUUM MARIS ADINSTAR, SURSUM, DEORSUM, CUM IN-
GENTI IMPETU LATÂ, OMNIUM RUINA ADEST PRÆSENTISSIMA.

TERRA SCILICET FERACISSIMA, SUB MINERALI REGNO
CONTENTORUM MATER, PRINCIPIIS MAXIMÈ ACTIVIS FŒTA,
FACILIÈ IN MOTUS HORRENDO INSURGIT; SQUIDEM HÆC VEL
VITIOSÈ CONCURRANT, VEL MINÙS DEBITÈ RAREFIANT, EXHA-
LATIONUM SUBINDE EXITUM AFFECTANTUM CAUSÆ. HINC IL-
LA LOCA PRÆ RELIQUIS, JUXTA NATURÆ SCRUTATORES, TERRÆ
MOTIBUS OBNOXIA SUNT, QUÆ VENAS ♂, ♀, AUT ALTERIUS
OLEAGINEÆ MATERIÆ IN SE INCLUSAS HABENT, INDICIO MANI-
FESTO, HÆC PRÆ RELIQUIS ACCENDI, & MOTUM PEREGRINUM
RAREFACTIONE VIOLENΤÂ, VEL QUASI TALI INDUCTÂ, CONCIPERE
POSSE: QUOD ETIAM PER EXPERIMENTA CHIMICA VARIÆ GENE-
RIS MANIFESTUM EVADIT.

JAM JUXTA MICROCOSSI CUM MACROCOSMO SUBTI-
LEM ANALOGIAM, CUNCTA DE TERRÆ MOTU ALLATA, ETIAM

in corporibus animalium evenire, præter Philosophi effatum lib. 2. Meteorolog. c. 8. ipsa, proh dolor ! quotidiana testatur experientia.

EPILEPSIA namque affectus ille est, qui motibus convulsivis totum corpus humanum, horrendum in modum concutere, & non raro ultimam labem inferre valet. Hominem verò desubito in terram prosterni, & miserè sensibus privum hinc indè agitari, quis videns non expavescat?

Hunc affectum, Illustris Facultatis Medicæ jussu, Speciminis Inauguralis loco proponere, animus est. DEUS annuat cœptis !

CAPUT I.

De definitione nominali & reali.

Quod felicius auspiciūm præsens nanciscatur Differatio, à nominis explicatione, utpote consuetā tradandi methodo, eandem exordiri placet. Nè verò, quæ trita alias sunt, operosè nimis pertractentur, pauca saltim delibâsse sufficiet.

Etymologia Epilepsia desumitur ἀπλαυθάνεσαι, quod prehendere, invadere & occupare notat. Ex quo, vel in ipso initio genius affectus hujus manifestus redditur, cum plerumque desubito, ac quasi ex insidiis, hominem nihil minus cogitantem, vel sibi metuentem apprehendat.

Homonymiam quod attinet: sunt, qui sternutationem usitato loquendi modo, epilepsiam parvam dicunt: *quisbusdam ægritudo in genere nomine Epilepsia venit: quidam ipsum paroxysmum tantum, quidam etiam cum eo intermedium*

5.

dium tempus seu quietis, Epilepsia nomine indigitant: *alii* levissimum quemque insultum, & particulares partium convulsiones Epilepsiam vocant: Sic etiam vulgus, ubi quempiam in agone constitutum convolutionem pati conspicit, Epilepsia extinctum affirmat. Ab his omnibus differt exquisita & legitima Epilepsia, in sequentibus pertractanda.

Quoad *Synonymiam*, plurima occurunt notatu digna. *Hippocrati de aér, aq. & loc. IV. 6.* audit *morbus puerorum*. Pueri namque & infantes ob teneram constitutionem & delicatos nervos, facile præ reliquis, insultibus Epilepticis vexantur. Sævitiam & atrocitatem ejus considerantes *Herculeum morbum* nominabant, *sive* quòd Hercules eo laboraverit, teste *Aristot.* *sect. 30. problem. 1.* *sive* quòd eidem ferendo, nec Herculem ipsum sufficere, antiquitas crediderit. hinc & *magnus à Celso* habetur *lib. 3. c. 13.* Veteribus quoque *morbus sacer* dicebatur, vel ideo, quòd nobilissimam partem cerebrum occuparet; vel quòd spiritus cujusdam malefici afflatum suspicarentur. de quâ sententiâ vid. *Iatius Willis de morb. convulsiv. cap. 2.* ubi conjecturam cujusdam Theologi addit, qui plures in novo testamento pro dæmoniacis habitos, Epilepticos tantum fuisse, morbique hujus à Salvatore nostro curationem, spiritus mali ejectionem, *sive* exorcismum dici, existimat. de *morbo sacro* etiam videri potest integer *liber apud Hippocratem* *τὰς ἱερῆς νόσος* titulo insignitus. *Lunaticus* item *morbus* appellari solet non raro, quòd ad Lunæ *Φάσεις*, & conversiones invadat & recurrit. *Comitialis morbus* olim dicebatur, eò, quòd si quis tali morbo corriperetur, comitia eadem die dissoluerentur; confer. *Cels. loc. cit.* ideoque & *Sonticus* dici solebat, quòd eō correptos à comitiis arceret. Sunt, qui hodie *eaducum morbum* à subito in terram casu, Epilepsiam nominant. Germanis dicitur affectus hic die schwere Krauchheit oder schwere Noth / die hinfallende Eucht / der Jammer / das Elend.

Expositis iis, quæ circa nomen Epilepsia recensenda e-

rant, jam ipsam rem aggredimur, formalem Epilepsiae, hunc in modum subnectentes rationem:

Epilepsia est detentio principum functionum, sensuumq; cùm internorum, tum externorum, cum motu convulsivo totius corporis per intervalla repetente, ab insigni membranarum cerebri, & nervorum irritatione dependens.

Genus seu formalem Epilepsiae rationem assignare, res sanè videtur primâ fronte difficultis, cùm tot tantique tum veterum, tum neotericorum circa hoc obveniant dissensus. accedit huc, quòd affectus hic sit maximè complicatus, & variis stipatis symptomatis, ut adeò dubius quis reddi possit, cuinam primas in assignandâ formali ratione deferat.

Ut autem *summatis omnia comprehendamus*, duo sunt, quæ potissimum in Epilepsia perfectâ & legitimâ sub considerationem veniunt: (1) detentio functionum principum, & sensuum internorum, externorumque. (2) motus convulsivus totius corporis, per intervalla repetens.

Cùm itaque in Epilepsia motum convulsivum totius corporis satis enormem & horrendum sàpe, primòque obvium videant tum veteres, tum recentiores aliqui, eo quam maximè moti, illumque unicè attendentes, omnem quasi paginam absolvere, & Epilepsiae rationem formalem constituere affirmant.

Addunt porrò convolutionem in omni esse Epilepsia, non verò item functionum principum & sensuum detentionem, quod ex praxi ceu notum allegant: quale exemplum etiam habetur in *Ephemer. Germ. ann. I. decur. 2. obs. 124.*

Verum facile omnes circa hæc difficultates evitari possunt. Dicimus nimirum, in perfectâ Epilepsia ad detentio- nem principum facultatum, sensuumque in- & externorum primariò esse respiciendum. Motus verò rationem quod attinget, is, cùm non continuus sit, sed per vices recurrat, adeoque affectum non semper comitetur, tantum secundariò considerari meretur, quiqe Epilepsiam ab aliis affectibus,

in

7

in quibus itidem principum facultatum & sensum adest de-
tentio, discriminat.

Quod verò de integritate sensuum & functionum di-
ctum, id quoque in motu obtinere certum est; non enim is
in omnibus Epilepticis deprehenditur convulsivus. exem-
plum tale refert *Celsus lib. 3. c. 23.* Pertinet huc Epilepsia in-
terna, quæ non nisi à posteriori, livore in corpore post
mortem relicto, signatur, quod in infantibus solenne est.
Attendit etiam hoc loco meretur distinctio in universalem &
particulararem, in mitem & fortem Epilepsiam; in primâ (quæ
hujus loci est) omnes abolentur functiones, non item in
secundâ, ubi hæc, vel illa saltim functio lædi potest, alterâ
salvâ manente.

CAPUT II. *Subjectum proponit.*

Sede morbi probè perspectâ, feliciùs hinc in notitiam
& curationem ejus pervenire quemque posse, autor est
Celsus l. 4. c. 1. hujus itaq̄e vestigiis insistentes, de ra-
tione subjecti jam erimus solicii.

SUBJECTUM PRINCIPALE est *Cerebrum, quoad mem-
branas & nervos affectum.* Cùm enim facultatis animalis fun-
ctiones læsæ appareant, merito cerebrum, ut fons & autor ea-
rundem accusandus venit, de quo vid. *Gal. l. 3. de loc. affect.
cap. 5.* Afficitur verò idem potissimum secundum membra-
nam tenuem, per totam ejus substantiam coextensam, præci-
puè autem circa ventriculos, & per basin cerebri, ubi princi-
pium nervorum suam sumit originem, distributam; hâc enim
vellicatâ, concutitur cerebrum totum, & reliqua Epilepsie
exsurgunt *Phasmodia.* Nec nervi excludendi: noxa siqui-
dem membranæ huic communicata, porrigitur ad nervos.
membranas verò plexibus nervosis unicè & apprimè gaudere, vid.

sect.

scit. 4. cap. i. Physiol. Med. Magnifici p. t. Academiae Rectoris, D. D. Wedelii, Consiliarii & Archiatri Saxonici, Patroni, Hospitis & Promotoris mei, debito observantiae cultu gratissimo pectore, per etatem, devenerando.

Cumque modus, quo Subjectum seu pars afficitur, duplex sit : Per Essentiam, & per Consensum ; applicare haec huic scopo jam placet :

Per *Essentiam* laborare cerebrum in Epilepsia dicitur, quando proprio in sinu foyet malum, neque ab aliâ quam partem idem accipit : tales morbi sunt velut incolae, partem robore suo destitutam comitantes.

Per *Consensum* Epilepsia dicitur, quando non tam proprio vitio, quam aliunde deductâ materiam vaporosam & elasticam, vel magis positivam, tanquam ex foco cepi nido sufficientis, ut vocat acutissimus *van der Linden in Mclet. Med. Hipp.* cerebrum impetratur. Secundum haec verò aliorum opiniones circa subjectum epilepsiae aestimandæ & judicandæ sunt ; veluti *Quercetani in tetrad. affect. cap. c. 8.* non cerebrum, sed Cor pro primario subjecto epilepsiae haberi, statuētis ; ut alios, ventriculum v. g. accusantes non memoremus.

Et ut singula circa subjectum exhaustantur, placet hic quoque ad illustrandum jam dicta, adducere locum ex celeberr. *Willisio de morb. Conv. cap. 2.* ubi *spiritus animales cerebri incolas, primum & immediatum Epilepsie subjectum* ponit. Quæ sententia optimè ferri potest & meretur, siquidem spiritus & membranæ simul attendantur. Quod enim alias sanguinem & cor, tanquam causas socias pro uno stare dicitur, idem quoque & hic obtinere certum est ; cum neque spiritus absque membranis, nec membranas sine spiritibus pathologiam cerebri constituere, ratione in subsidium adhibitam, affirmari possit.

SUBJECTUM ADÆQUATUM Epilepsiae sunt *totum corpus & musculi.* *Totum corpus* horrendo aspectu hinc inde concutitur cum brachiorum & aliarum partium motu extensivo satis fortis & manifesto. *Musculi* item motu inordinato citantur,

& versus suum principium, ubi juxta Anatomicos, maximè *Isbrandum de Diemerbræck in anat. lib. 5. c. 2.* nervi est insertio, trahuntur, moventurque variè. Siquidem perpetuus consensus inter nervos & musculos habetur, illisque insigniter irritatis, etiam his facile noxa infertur.

CAPUT III.

Causas examinat.

DE causis epilepsia dicturis, ante omnia maximè pendendum venit, fieri nonnunquam motus convulsivos à solâ causâ evidenti externâ, nullâ præviâ dispositione. Sic punctura nervorum & tendinum etiam levissima visa, brevè ad convulsivos motus irritat corpus. Verum hæc & similia ad præsens propositum minimè quicquam faciunt, cum tantum leviores & citò transeuntes sint spasmi. Alio longè modo graviores in epilepsia paroxysmi, altiores causas agnoscentes considerantur.

CAUSA IMMEDIATA & PROXIMA Epilepsia perfectæ, est *vellicatio concussoria cerebri*, ab insigni ejusdem fibrarum membranacearum & nervosarum irritatione dependens, irritatis namque membranis, cerebrum concuti, necessum est.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR, per quam immediata prior determinatur, præeunte *Magnif. D. D. Wedelio*, assignatur *ichorescentia humorum fermentifica*, principaliter *lymphæ*, adæquatè *sanguinis*, magis vel minus peccans. Ichorescentiam hanc dicimus fermentificam, ut vel verbo innuamus Epilepsia ætiologiam. Fermentatio squidem seu motus intestinus particularum heterogenearum hoc loco concipi potest & debet in humoribus; hæc enim clave adhibitâ, facile panduntur & in apricum prodeunt reliqua. Nimirum ex fermentatione hæc præternaturali & peregrinâ lymphæ v. g. (quæ magis præ sanguine attendi debet) illico elicetur *vis elasticæ*,

elastica; vaporosa; Thino-Æea, peregrina, partibus cerebri membranosis & nervosis inferri apta nata. Elastica proinde & vaporosa hæc, magis accessione Æris biliosi, & à statu blando naturali abeuntis, talia reddita, tum suâ naturâ, tum ratione partis affectæ specialis, siquidem partibus cerebri & nervorum membranosis respectivè primariò vim suam inferrant, magis irritativa & displosiva redduntur. Sub elastico & peregrino hoc motu, Thia acria & acida volatilia necessariò attendi merentur, quippe hæc modum agendi pateficiunt, gradumque magis vel minus intensem innuunt. His omnibus velificantur spiritus intimè sibi intermixti. quò enim excrementum est spirituosius, eò major efficacia, majorque vis elastica, explosiva, irritans conspicitur.

Cuncta hæc potissimum in sero seu lymphatico humore, quæque ad naturam ejus, seminis v. g, propriùs accedunt, fieri, est manifestissimum. Serum namque est vehiculum omnium humorum, tincturasque adeò, & affectiones horum imbibit. Hinc vector Thium acidorum, vector Æ peregrini, verbo: serum bilioso-acido charactere signatum, fermentificum est & elasticum. Recipit namque lympha hæc miscuvaria, eaque cum spiritibus animalibus, ob innumatum sibi cum iis commercium & consymbolismum, communicat.

Singula hæc ut magis exprimantur, audiamus *Vallisium* circa motū rationem cap. 1. de morb. Convuls. philosophantem: *Spirituum*, inquit, *fibras musculo intertextas incolentium particulis spirituo-salinis*, alias diversi generis particulas, à sanguine arterioso, inter easdem fibras ubique interfluo, Tho-Æeas accedere, illisq; intimè accrescere: dein quoties particule utrinq; generis, velut *Ω Σ Φ* combinata, propter motū instinctum per nervos advectum, tanquam à fomite igniario commoventur, protinus ab invicem elisæ Σ velut explosæ, musculum subito instant, proindeq; tractionem validissimam efficiunt. Mechanicam hujus rei ex auro fulminante & aliis præparationibus chemicis, ubi explosio & detonatio à rarefactione Æris cernitur, desumit.

desumit. Hinc ex hypothesi suâ copulam explosivam à se loc. cit. nominatam explicat in sequentibus: particulas heterogeneas & valde explosivas spiritibus in hac, aut illâ corporis regione agentibus accrescere supponimus: deinde ex iniquâ hac combinatione, & irrequietâ hujusmodi materiæ & spirituum collisione, crebras vehementesq; explosions editas, paroxysmos mortuadens inducere.

Alii causam hanc mediatam proximiorem explicaturi odores subtile, acres, malignos accusant, qui non tantum texturam spirituum immutare, sed etiam explosivas, acres particulas spiritibus suffundere, & motum irregularē producere valent. ut enim odores svaves spiritus reficiunt, ita morbos iudicem, eos mirum quantum lœdunt. Ex hoc fundamento quoque Helmont. in tr. imag. ferment. imprægn. mass. sem. §. 17. epilepticum inquit odore cadere, simulque ipsis odoribus erigi posse.

Verum quod attinet Willisii assertum, illud hactenus dicta illustrat. quamvis specifica illa mixtio quoad ♂ & ♀ in spiritibus adhuc dubia videatur, neque accuratè determinari possit.

Quoad odores verò. illi sanè ichorescentiam humorum fermentificam ac elasticam explicant, cùm in eādem unicè fundentur. Argumentum hujus rei peti potest ex chimicis: per fermentationem siquidem laxantur pori ♀ris, cujus partes hinc resolvuntur, attenuantur, volatilisantur, rarefiunt & expanduntur. de quo latius agit Magnif. D. D. Wedel. in Pharm. Acroamat. lib. 1. sect. 3. cap. 2. Principium autem odorum, quod ex hoc loco derivari possit, dubium non est. omnis scilicet odor presupponit exhalationem debitam: hinc omnia illa odorem de se spargunt, quæcunque e volatili oleoso, seu cum sulphure commixto, illudque rite expandente, sicque exhalationem adjuvante, magis vel minus pollent. Vid. laudat. Dn. Wedel. in Physiol. Med. sect. 4. c. 4.

CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES, quæ proximiores vel ciant, vel ad agendum disponunt, ut evadant causa imme-

diata, sunt variae : *Naturalium*, *Non-naturalium*, & *Præternaturalium* nomine, Medicis venire solitae.

Ex *Naturalium causarum* classe, primò considerandum venit *Temperamentum*. hoc pro vario statu seri & sanguinis, variè etiam ad epilepsiam generandam concurrit. Sic calidum humores attenuat, atque ad acredinem & falsoedinem, accedente præprimis sicco temperamento disponit. Frigidum idem si sit, acidorum & putridorum humorum autor evadit.

Idiosyncrasia, seu individualis cerebri dispositio juxta jam dicta æstimanda venit.

Hæreditaria dispositio maximè solennis est in hoc affectu. Dantur enim familiæ integræ, quibus epileptici insultus hæreditario velut jure connascuntur. Id ipsum verò fit ob seminum & characterem semini & sanguini, adeoque archeo ipsi (unde archealis morbi nomen fluxit) intimius impressum. Habent scilicet & morbi sua seminia, in fermento salino-sulphureo consistentia. Hoc fermentum licet aliis particulis involutum aliquamdiu in corpore tenello, vel etiam provectionis ætatis lateat, nihilominus tamen successu temporis duæ mens suas exerit, atque hinc humorum beneficio epilepticæ dispositionis seminia exfuscat, donec ipse tandem affectus consequatur.

Ætas infantilis, & quæ ad hanc proprius accedit, epilepsia malo magis obnoxia est. Ut enim tertia pars adultorum febri, ita epilepsia tertia pars infantum, ob fibrarum nervearum molliorem texturam moritur. Hinc in infantum plerisque affectibus, sive dentiant, sive tussiant, morbillis & variolis corripiantur, sive vomant, sive tormina aliaque patiantur, semper altero oculo affectus, altero convulsivi motus, juxta Practicorum monita, sunt respiciendi.

Sexum quod attinet, mulieres & virgines, quæ beneficium naturæ menstrua obtinent, minus respectivè huic malo obnoxia esse, rationi est consentaneum. materia quippe, quæ foyere posset Epilepsiam, hoc pacto aliò exitum affectat.

Ex Non-naturalibus Aër primò se offert ; hic cùm variorum existat vector miasmatum , pro vario communicandi cum corpore modo , variè afficit humores & spiritus . In specie quoad partes anni considerari meretur idem . sic verno tempore Comitiales morbos oriri , extat III. aph. 20. itemque autumnali III. aph. 22. Hyeme molestissimæ , diuque durantes obtingunt epilepsia . Æstate , temperato præprimis aëre , mi- nùs respectivè proventus epilepsia metuendus venit .

Spectat huc maximè , ab astrali influxu mutatus aër ; hic cùm interpres communis sit inter spiritus , lympham & astralem alterationem , meritò etiam hoc nomine hic attenditur . videri hanc in rem latius potest *Mæbius in Epitom. inst. Med.* Famosa in primis Epilepsia est , ordinariè circa novilunium , suum in corpus exercens dominium : quin datur eadem ad singulas Lunæ quadras recurrens . Exemplum talis periodicæ Epilepsia in star omnium præbet Virgo nobilis epileptica à *Magnif. Dn. Wedelio in Eph. Germ. ann. 2. decur. 2. obs. 148.* adducta . in hac præter alia , observabatur paroxysmus priores duos menses circa novilunium , hinc subsequenti tempore singulis lunæ quadris repetens , tam exacto calculo , ut ipso momento quadræ lunaris , & insciâ sàpe penitus hujus mutationis in cœlo ægrâ , rhytmum lunarem explicaret , præcipue verò circa novilunium . Ex hoc fundamento etiam in novilunio natos imbecilles , & ad epilepsiam magis dispositos , pronunciant Astrologi . quod ipsum Eclipsi lunari quoque adscribi solet .

Cibus & Potus quantum hic valeant , neminem latet , qui alimentorum qualitates sanguinem penitus æmulari cognoverit . Potest verò in iis vel quantitate , vel qualitate , vel utendi modo peccari . Sic præter excessus varios & utendi modos irregularès circa cibos , memoranda sunt , quæ crudos humores , acidos , acres causantur : esus scilicet fructuum horariorum intempestivus , lactis & saccharatorum nimia ingurgitatio , allium , sinapi & reliqua acrioris succi immodecè ingesta . Ex potulentis vinum , præcipue nigrum quodque mi-

nus dilutum est, in hoc morbo pridem damnavit *Aristot. lib. 7. hist. animal. cap. 12.* De quodam, qui ex ebrietate aphonus, convulsus mortuus est, refert exemplum *Baldinus Ronf. in Epist. Med. 12.* Sic senem, senili lacte seu vino, & tatem uberioris rigantem, epilepticum factum, refert *Heer. in obs. med. 24. pag. 278.* Idem etiam valet de aliis potulentis, siquidem excessus deprehendantur.

Somnus & Vigiliae si excedant morbos evadunt. *Somnus, praesertim meridianus, caput replendo : vigiliae, exsiccando & adurendo humores, concurrunt.*

Motus & quies si sint immoderata, non extra omnem culpam manent. *Ille enim humores crudos, antequam coquantur, ad viscera & caput amandat: huc verò humorum debitam ventilationem inhibet, hincque corruptionis variæ autor fit.*

Excreta & Retenta, non debito modo se habentia, ad affectum hunc producendum non parum faciunt. Sic solennes esse solent epilepsia ex retentione mensium provenientes. Huc haemorrhoidum, seminis, &c., aliorumque humorum suppressio referenda. Ex excretione item retinendorum epilepsiam, vel motus saltem convulsivos fieri, non est absolum. quare ex V. S. nimiâ, ex profusione seminis à fe intempestivâ, eosdem accelerari posse, concluditur.

Animi pathemata si modum excedunt, sanè uberrimum proventum magni hujus affectus afferunt. Ira, ob commotionem bilis epilepsiam inducere valet. Lucubrationes ad medianam noctem saepius instituta, idem praestant non raro. Terror, ut in genere desubito prosternit, ita in specie pueris per jocum incussum, epilepticos eosdem reddit: puella ab ebriis duabus ad stuprum solicitata, in epilepsiam ex subito terrore & animi consternatione incidit gravissimam, notante id *Heorio in obs. cit. p. 274.* Intuitus per manus carnificis in areis publicis intereuntium, quibusdam esse solet funestus, sexui præcipue sequiori. Notabile est exemplum cujusdam in *Ephem. Germ. ann. 2, dec. 2. obs. 149.* qui in templum vel curiam progrediens,

cum

cum obvium sibi aliquem conspicaretur, illicò motibus convulsivis infestabatur. dum obvelatā faciē neminem prætereuntēm conspiceret, nihil tale experiebatur.

Cause Præternaturales denique dantur variæ : sic vulnera capitis, præsertim cum fracturâ cranii, ob stagnantes, & variè corruptos humores epilepsiam, motusque convulsivos sæpe inducunt. quale exemplum ante 4. circiter annos, Regiomonti Boruss. in viri primarii filio videre licuit. Abscessus interiores capitis idem præstant. In dentitione difficiili minimè immunes sunt infantes ab hoc affectu. Variolæ & Morbilli sæpe prænuncios agnoscunt motus convulsivos. Sic etiam in Dysenteriâ, lethales aliquoties convulsiones observavit *D. D. Wedelinus*. Huc referendi sunt vermes, calculi, febres, lochia corrupta, aliaque plurima mala, hic non latius memoranda. Placet tamen ex *analectis D. D. Presidis, Patroni observanter collendi*, his adnectere observationem singularem de catellâ epilepticâ. quæ sive ad iracundiam per verbera commota, sive per excursiones nimium agitata, paroxysmo corripiebatur verè epileptico, convulsa in omnibus corporis articulis, oculis retortis & spumascentib⁹ labiis; ad tempus detenta, tandem ad se redibat, hilaris & agilis. Causa huj⁹ invasionis per anatomen detecta fuit ossiculum, quasi laminatum, scutiforme, ad pollicis articulum magnitudine suā accedens, inter cerebrum & cerebellum meningibus & vasis profundè satis & arctè finibus suis aculeatis, intricata, quibus ad motum sanguinis vehementius excitatum eosdem puncturâ lancingavit, epilepticorum horum insultuum mater.

CAPUT IV. *Differentias delineat.*

DIFFERENTIAS affectūs hujus assignare haud erit difficile, causis in primis probè perspectis. Ut autem patet, ad quamnam classem quævis species referenda sit, locos è quibus singulæ desumi possint, breviter assignare lubet sequentes :

Ratione Generis: alia Epilepsia est perfecta & universalis, alia imperfecta & particularis: porrò alia magna, alia parva: fortis item, & debilis: quædam ordinata, statis temporibus ut novilunio, vel certis Dæ quadris afficiens, quædam inordinata.

Ratione Subjecti: datur Epilepsia ante, circa, & post pubertatem eveniens: quædam itidem est idiopathica, ex domestico cerebri vitio; quædam sympathica, aliunde, tanquam ex foco prodeunte causâ morbificâ, ut utero, hypochondriis, partibus externis. Ex pede prodeuntis epilepsia exemplum vivum habetur, à *Magnif. D. D. Wedelio* aliquoties per discursus communicatum: puella nimirum rustica, singulo mane hora 9. ante meridiem, auram ex dextro pede adscendentem sentiebat, hinc caput pluribus vicibus in gyrum agebatur, quo quiescente, mox pes dexter eodem modo in circulum agitabatur, hinc denuo caput, inde iterum pes, constante tamen ratione & stante puellâ, donec aurâ in pede manente, tristis paroxysmus intermitteret. Similem per consensum à manu epilepsiam recenset *Nicolaus Chesneau Observ. lib. I. c. 4, p. 103.*

Ratione Causæ: hæreditaria alia est, alia acquisita: quædam ex internâ causâ, quædam externâ ut contusione capitis, producirur.

Ratione affinium morborum: Epilepsia, motusque convulsivi differunt à Convulsionibus, seu appropriato magis vocabulo *Conductionibus*, *Lindano in Patholog. med. dietis*, nimirum emprosthotono, opisthotono, tetano, cinismo, trismo, strabismo, priapismo, satyrismo. In his enim juxta eundem, loc. cit. muscularum uno pluribusq; contractis, membrum velut quodam rigore detinetur: in illis autem membrorum unum, aut multa, jactatione aut magnâ vexantur, aut continuâ agitantur.

CAPUT V.

Signatum Diagnostica tum Prognostica recenset.

DE signis DIAGNOSTICIS dicturis attendendum in generre venit, ea non in omnibus epilepticis eodem semper modo concurrere, sed nonnulla in his, nonnulla in aliis magis attendi, pro variâ variorum dispositione.

Imminentis Epilepsiae signa sunt sequentia : oculorum caligo : scintillæ iisdem obversantes & interdum nubeculæ : tinnitus aurium : odorum fœdorum perceptio : stridores dentium, minùs antea consueti, præsertim in somno obtingentes : lassitudo totius corporis : tremores membrorum : memoriæ debilitas : anxietas : somnus interruptus : incubus : insomnia terrifica : capitis dolor, ejusque gravitas : sternutatio frequens : tenuis, livida : præ reliquis verò vertigo id singulare obtinet, quod sèpius continuando, haud raro epilepsiae prodromus evadat.

Præsentem Epilepsiam ex his cognoscere licet : subito nimirum & cum impetu in terram prosternuntur ægri, sensuque & intellectu orbi variis motibus hinc inde agitant corpus : capite, dorso, brachiis & pedibus quævis obvia, ut parietes, terram, strataque concutiunt & pulsant : oculi pervertuntur : dentes constringuntur, ut sèpe linguam præmordeant : spumam ex ore mittunt, eamque aliquando fœtidam, & instar lotoræ carnis apparentem ; qualis deprehendebatur in virgine nobili superiùs adductâ : digitos coarctant, pollicem in manu abscondentes, & ad volam retrahentes : vocem inarticulatam & sonoram edunt, quæ aliquando penitus intercipitur : respiratio adeo difficultis : fæces alvi, semen ipsi in involuntariè excernitur : imò prægnantes si corripiantur epile-

ipfiā, fœtūs exclusio simul, vel abortus accidere potest, quod quidam Medici observarunt.

Sigma Subjecti, an essentialis, an sympathica sit affectio, facilè concidere licet. Sic si cerebrum accusetur, attendenda sunt: capitis debilitas, ejusque dolor, in primis continuatus, subita invasio absque præviis symptomatibus, aliaque. Sympathica epilepsia, seu per consensum afficiens, ex propriis partium reliquarum, ut uteri, hypochondriorum, intestinorum, ipsarumque externarum partium symptomatibus elici potest.

Sigma Causarum satis obvia sunt, si perpendantur illa, quæ prægressa sunt, & disponere causam proximiorem quovis modo potuere.

Expositis signis diagnosticis, ad PROGNOSTICA transiundum.

Salutis & mortis eventum quod spectat, nemo hunc affectum periculosissimum negaverit, quod cerebrum, regimen illud sanctius & cancellaria microcosmi infestetur. *Incurabilis* verò respectivè vel difficilior curatu illa præcipue habetur epilepsia, quæ hæreditario velut jure connosci solet: hinc illa quæ subito, & validissimo cum motu ingruit, cum spuma copiosa, & seminis ac excrementorum profusione, dentium stridore & stertore insigni, maximum periculum innuit: Insenibus, ut & post 25. annum difficulter curatur, & ut plurimum *ξυναποθνήσκει*: gravidis superveniens mala est: hyemalis contumacior æstivâ: per idiopathiam epilepsia difficilior curatu est: *Benignior* contrà ea habetur, quæ per consensum fit, & parum durantes licet frequentes, exhibens paroxysmos: epilepsiam puerilem febris, ulcera, scabies, pustulæ excipientes, solutionem plenariam ut plurimum notant.

Tempus eventus, quo epilepsia decursus sui intuitu consideratur, eleganter exprimitur in V. aph. 7. Quibuscunq; morbi comitiales ante pubertatem fiunt, transmutationem habent. quibuscunq; verò 25. annos natis fiunt, his plerumq; commoriuntur.

Modus eventus ad salutem, vel integrum notat solutionem superatâ causâ morbificâ, naturæ vel medicamentorum ope:

ope : vel permutationem in aliū morbum leviorem , ut paralyſin , melancholiā , vel juxta V. apb. 70. in quartanam . ad mortem terminatur omnimodā virium resolutione & ſufocatione .

CAPUT VI.

Methodum medendi generalem exponit.

PErpensis hactenus , quæ ad cognitionem hujus affectū faciunt , ſupereft , ut jam ea addantur , quæ ad debellandum hunc hostem peregrinum , maximèque vitæ inſidiosum , ſua ſuppeditant præſidia & remedia . optimè verò eadem ſecundūm methodum medendi ex tribus petuntur indicationibus , ſcilicet : CURATORIA , PRÆSERVATORIA ET VITALI .

Cumtoria affectum ipsum , ejusque cauſam , præſertim verò tempore paroxysmi respicit , quem quovis modo vel penitus profligare ; vel saltim inordinationes ſpirituum compescendo , levare ſatagit .

Præſervatoria extra paroxysmi tempus locum obtinet , fermentumque acidum , bilioum , elatiuum , ichoroſum , hīc , illuc latitans extirpat , revelliſt , derivat , evacuat , novamque accessionem prohibet , partisque mandantis & recipientis intemperiem corrigit .

Vitalis denique cùm totius , tum partium , in primis cerebri robur respicit , medicamentis ſcopo expetito aptis .

Materia verò præſidiōrum ex triplici uſitato remediorum deſumitur fonte : CHIRURGICO PHARMACEUTICO , ET DIETETICO .

CAPUT VII.

Curationem in paroxysmo adducit.

IN paroxysmo ipso auxiliis externis præ internis locus est, os enim cum dentibus arctè constringitur, ut minus via pateat intro assumendis; limitandum tamen id est pro, mitiori vel graviori statu.

Ingruente ergo paroxysmo, ad duo respiciendum est: primò ad symptoma ipsum; hinc ad causam.

Ad *symptoma*, facultatem scilicet læsam animalem recommendantur clamores in aures, vellicationes, frictiones plantarum pedis, cervicis & dorsi, sive cum spiritibus nervinis, sive aliis oblatis, ut pannis asperis, pro circumstantiis loci, & aliorum. porrò teneatur æger ab adstantib⁹ capite & pectore non-nihil elevato ad faciliorem respirationem procurandam; & si quid in faucibus hæreat, eximatur. abdomen simul leniter comprimatur; neque tamen brachiorum & crurum motus in totum cohibeatur, materiæ siquidem discussio hoc modo impeditur, & paroxysmus protrahitur. Pollicem solent è volâ manus retrahere, quod eam cautionem exposcit, nè vis inferatur debito major. Maximè verò curandum, ut demulcentur partes membranosa & tendinosa, seu actu extimulentur ac tantantur, seu spiritus inordinatos dispensent & foveant, seu accessum ad nervosum genus magis promoveant. hunc in finem commendantur emollientia & nervina *ex pingued. bum. tax. vulp. ungv. nervin. pingued. castor. o. succin. ~ formic. Θ *ci, ▽ apopl. &c.*

Causam respicientia varia commendantur. sic commode illinitur spina dorsi ~ succin. formic. Θ *ci. Non minus ad bregma, umbilicum, nares & linguam eadem ~ osa & balsamica utilissimè adhibentur, quorum exemplum instar omnium præbet ▽ apoplect. eff. castor. vel ~ tu Θ *ci acuata. Sic etiam commissuræ suturæ coronalis commode illinuntur o. orut. cum castor.

caſtor. imprægnato, & ſo nuc. moſchato. expreſſo, ſubacto. Non inconcinnè etiam □ ei apcolect. frigidæ faciei insperguntur.

Si malum in ventriculo hæreat, vomitus quoquo modo ciendi ſunt, ut in tempore excutiatur fomes tam horrendi affeſtus. infans unius anni juxta B. Rofinc. in meth. cogn. & cur. aff. cap. partic. diff. 7. lac fugens è mammis maternis, forte ab extero aëre refrigeratis, confeſtim epileptico iuſſulu cum strangulationis signis manifestis corripiebatur, à quo vomitu ſpon- taneo lactis haſti statim liberabatur.

Si stupor adſit, & fortiori paroxysmo detineatur æger, excitandus eſt archeus per clyſteres acres.

Ad V.S. in paroxysmo minimè deveniendum; niſi vel ſanguinis copia, vel ſuppreſſio aliqua ſummè urgeat. Ligaturæ, cucurbitulæ, cauteria actualia & potentialia, pro re natâ, uſum aliquem habent, cauſâ morbiſicâ in certâ quâdam parte hæren- te. Sic cucurbitula magna cum multâ flammâ præviâ ſcarificatio- ne pro partis ipſius conditione cum fructu adhibetur. caven- dum tamen præcipit Roder. à Caſtr. lib. 2. de morb. mul. c. 2. nè in epilepsiâ uterinâ id fiat ſupra umbilicum.

CAPUT VIII.

Curationem extra paroxysmum exhibet.

CHIRURGIA in hoc gravi affectu, generofa ſua ſup- peditans remedia, primò ſe commendat.

Vena Sectio in vere præprimis instituta, cœteris paribus, urgente ſangvinis copiâ, & ſuppreſſionibus variij generis convenit. mittitur verò ſangvis in artibus ſu- perioribus & inferioribus; ſic ſi plenitudinis adſit nota, bene brachii vene aperiuntur, itemque frontales, & raninæ, oculis & facie præſertim rubentibus. In sympatheticis epilepsiis commodiffimè pro re natâ ſecantur vene in pede, ſic ſi adſit,

suppressio evacuationis solitæ v. g. mensium, fausto sæpe successu vena saphæna, vel alia in pede aperitur. idem quoque ad hæmorrhoides obstructas deducendum, quo in casu etiam eadem aperiri queunt.

Arterias temporum sectas epilepsiam in juvēne 25. annorum levāsse, testis est Severinus in chir. efficac. part. 2. quod tam ad graviores casus tantùm extendendum est.

Vicariam operam horum præstant nonnunquam in delicationibus cucurbitulæ scarificatæ, itemque hirudines debito modo applicatæ.

Vesicatoria egregium in epilepsiam præbent usum, sive sit essentialis, sive per consensum talis. in priori, nuchæ, bregmati, & brachio applicantur; in alterâ verò parti mandanti eadem admoventur. Sic *Magnif. D.D. Wedelius* in puellâ epilepticâ, ex pede auram in caput tendentem sentiente, priùs quam malo corriperetur, vesicatorii usum cum successu commendaverat. Consultum ut alias, ita etiam hoc loco videtur, ulcusculum ad plures dies, ad ichoris profluviū continuandum servare aperatum, quod optimè fit cum emplastro refrigerante, v.g. de spermate ran. refractâ dosi cantharidum roborato: hoc enim modo ad 12. nonnunquam dies ulcusculum, non sinè insigni & *Phœ̄ja* servatum, vid. jam laudati *D. D. Wedel. Amæn. Mat. Med. lib. 1. sect. 2. cap. 6.*

Fonticuli, ut in pluribus affectibus à lymphæ vitio oriundis unicè solatio sunt, ita & in hoc affectu ad evacuandam sensim ichorosam materiam, summè commendantur.

Setaceæ cùm trahant & derivent materiam peccantem, eamque simul eliminent, usum habent non contemnendum in epilepsiam essentiali, præsertim contumaci. Sic testatur *Gwilhelm. Fabric. cent. 1. obs. chirurg. 4.* se juvenem quotidie epilepsiam laborantem. & *cent. 4. obs. 8.* simili modo puellam 18. annorum ab ipsâ infantiâ epilepticam, solo setacei usu restituisse. In epilepsiam tamen, quæ fit per consensum, abstineri debere à setaceis *Rondel Lib. 1. meth. cur, morb. c. 36.* præcipit; nisi essentialis tractu temporis reddatur eadem.

PHARMACIA quæ suppeditet remedia, ad varias circumstantias addenda, selectu instituto, lustrabimus sequentia.

Offerunt verò se in ipso initio *Lenientia*, primas vias ab infarctu vitiosorum humorum liberantia. commendantur hunc in finem in primis Pilul. aloët D. Wedel. polychrestæ, Crem. & Crysta. ♀. & ♂. ♀. Plat. s. & Daris, R. ♀. s. & tta, extract. fol. senn. pulv. laxat. vegetab. anim. Rhab. tiat. pulp. de tamarind. ex quibus variæ adaptari possunt formulæ, additis appropriatis, diluendi & aperiendi virtute conspicuis.

Clysteres si usus exigat, ex emollientibus, purgantibus & resolventibus adaptari possunt.

Præparantia, siquidem focus epilepsia obstructionem, vel cruditates aliquas supponat, ut si humores p.n. sint viscidi, tenaces, & peregrino acido, vel acredine simili signati, hinc attendi debet; talia verò sunt *aperientia*, *antiscorbutica*, *anticachectica*, *hepatica* & *splenetica*, alia & ♀ ea cum primis amplectentia, singula ex suis petenda locis. Hinc epilepsia ex ventriculo, utero & reliquis visceribus dependens, foco accommodata exposcit præparantia.

Purgantia in debellando miasmate epileptico maximas possident dotes. & in specie infantes recens nati, (ut obiter hæc addamus) cùm bene ferant purgantia, his ipsis rite adhibitis, optimè ab insultibus epilepticis præservari queunt. Eminent verò inter eadem in genere sequentia: senna & rhabar. Alex. bellob. nig. gialap. agar. trochis/c. extr. agar. bellob. nigr. rhabar. panchymag. Croll. resin. scammon. gialap. spec. diagalap. Myns. ♀. dulc. ex quibus iterum pilulæ, pulveres, potiones, adhibitis huic scopo inservientibus aliis, concinnari facile queunt. Maximè verò *vina medicata purgantia*, aperientibus acuata, siquidem chronicum malum sit, commendantur. hæc quippe melius corpus pervadunt, & materiam intimè partibus his illis insidentem è suo loco sensim exturbant.

Vomitoria his subsequuntur. Epilepsia uti est Herculeus morbus, ita etiam vix citra Herculea medicamenta curari

rari potest. testatur namque experientia celeberrimorum virorum, epilepsiam, si valida sit, vix unquam absque purgantibus & vomitoriis repetitis perfectè tolli posse. Sic & Virgo illa nobilis ex *Ephem. Germ.* jam adducta, omnibus aliis in cassum adhibitis, unicè purgantibus & vomitoriis bis in anno à *Dn. D. Wedelio* propinatis & repetitis perfectè sanabatur. Ita etiam eadem maximè conducunt, si suspicio ad sit hærentis in ventriculo massæ vitiosæ recenter ingestæ. Sic referente per discursus *Dn. Doct. Preside* studiosus vino faccharato, aliisque dulcibus largiter usus, commilitonem irâ accensus invadens, Epilepsiam correptus, pulveribus cephalicis irrito successu ab initio adhibitis, unicè vomitorio hinc ab *Eodem* propinato levabatur. In hunc usum verò instar omnium commodè cedit ♀ *Emet.* ad modum *Dn. D. Wedel.* paratus, & cum ♂ maritus; sic etiam ad eundem finem infusum vitri ♂, & croci metall. Θ Θli, & alia usitata adhibentur.

Sudorifera & *Bezoardica* purgato corpore sequuntur. Hæc maximè penetrant, & fermentum epilepticum in primâ quod dicitur, herbâ suffocant, sub specificis latius recentenda.

Referri huc possunt *aqua thermale*, quarum usus universalibus præmissis, & purgato corpore non est de nihilo; magisque proficuae eadem fuerint, si ante earum usum *pulv. epileptici* sumantur.

Eodem nomine commendantur etiam *decocta lignorum*, impuritates supervacaneas lymphæ intimè partibus glandulosis impressas extricantes.

Diuretica, cùm ichorescentiam lymphæ corrigant & depleant commendantur in hoc affectu, præprimis verò illa adhibenda, quæ simul ad specificorum naturam accedunt, uti sunt *succinata*, & ex Θ * parata, aliaque.

Particulares evacuationes per *sternutatoria*, *errhina* &c. usu suo non carent, si per circumstantias peculiares iis uti liceat. alias sternutatoria in epilepsiam extra paroxysmum minus præscri-

scribuntur, quod facile motum elasticum citent; quare cum his cautè mercandum.

Alterantia specifica, seu Antiepileptica omnium maximè huc spectantia jam recensenda veniunt; quæ scilicet lympham vitiōsam, hoc est, fermento acido, bilioso, acri, elasticō, ichoroso, hīc, illic in corpore latente signatum, contemperant, invertunt, extirpant, dissipant, membranasque cerebri, & totum nervosum genus ἀναγυμάσσου suā suaviter demulcent & afficiunt. Laudantur verò ex volatiliū, fixorum & mediorū classe sequentia: ~ C. C. liquor C. C. succinat. ~ Θ * simpl. & vinos. ex eo quē cum □ lil. convall. vinos. & modico ♂ majorū. vel alius, paratus liquor seu emulsum cephal. D. D. Wed. ~ Θ * ci castorin. ~ ebor. idemq; in primis balsamicus cum eff. balsam. Peruv. cum ~ Θ * ci vinoſo paratā factus, ♂ & ~ succin. balsam. rut. ipsaque camphora penetrantissimum medicamentum, ~ Cephal. volat. D. VVedel. M. S. antiepilept. cum extract. valerian. pœon. talis reddenda, elix. cephal. D. VVedel. ♀ epilept. March. specif. cephal. Croll. ♀ epilept. Quercet. ♀ epilept. nig. ♂ tatus, magist. cran. hum. smaragd. ppt. corn. alc. ppt. bezoard. Sennert. bez. ♂, ♀ & Dare, ♂ at & ♂ ij, ♀ absorb. D. D. VVed. Magni etiam usūs est ♀ epilepticus trium regnorum dictus, qui euporistus est & elegantissimus, constans ex cinnab. nativ. dente hippopotami (vel hujus loco castoreo in fœminis) & antheris coryli anaticā proportione; hoc etiam modo ♀ gravior dispergitur & levior fit, levitasque antheræ corrigitur. *Muscus crustaceus crani humani, tantopere in Ephem. Germ. an. 2. dec. 2. obs. 53. decantatus, huc etiam referri potest.* His succedunt □ tum spirituosa, tum ▽ osa, ut ▽ epilept. Lang. pœon. ceras. nigr. flor. til. cerebr. hum. rut. volat. lil. convall. volat. & aliæ bonæ notæ. Vid. plura in hanc rem apud B. Rolfinc. in ord. & meth. med. sp̄ec. comm. lib. 7. sect. 1.

Opiata insignem non raro obtinent usum in epilepsia, si quidem vel dolores spasmos producentes urgeant, vel paroxysmorum continua vicissitudo & exhalantium humorum acrum subtilitas, vel tussis convulsiva in infantibus & aliis, vel

diarrhoeæ, similesque casus eadem indicent: miscendo scilicet dosi refractâ cum epilepticis aliis liquidâ vel solidâ formâ. vid. *Opiolog. D. Doct. Wedel. lib. 2. sect. 2. c. 2.* ubi etiam cautela circa opiatorum usum habetur, nè si natura ad exteriora contendat materiam morbificâ depellere, motu inhibito, restitante circa cor materiâ, suffocationem excitemus.

Habentur & alia hinc indè ab autoribus contra epilepsiam laudata euporista, singula ad trutinam rectæ rationis à medico revocanda. Sic experimentum, quo Fridericus IV. Elector Palatinus ab epilepsia à 15. ætatis suæ anno ad 26 continuante perfectè restitutus, laudatur ab *Hartmanno in Præm. chymiatr. cap. de epilepsia p. m. 67. & seqq.* est verò idem tale: hepata ranarum viridium eximantur, & sigillatim supra folia brassicæ capitatæ ad eam partem, quâ terram respiciunt, ponenda, hinc in ollis vitreatis ad ignem lentum exsiccentur, ita ut in fm tenuissimum teri possint, à foliis cautiùs separata. modum utendi, & plura circa experimentum hoc observanda, vid. apud *Hartm. loc. cit.*

Vulgus, velut præsens quoddam auxilium toto die commendare solet *sanguinem decollati* calide assumentum. Verum, quòd vix tale auxilium indè sperari possit, comprobatum eunt tum rationes, tum exempla. Etenim sanguis decollati, simul ac extravasatus sit, archei proprii dominium exuit, fibrisque suis, quas habet, destitutus, grumescit, & ad coagulationem præsentaneam disponitur, sicque archeo alterius non respondens, ichor & putredo facile evadit; symptomata hinc horrenda nonnunquam excitans, ut febres, anxietates, ipsam epilepsiam majorem, nauream, cardialgiam, lipothymiam, hystericas suffocationes, obstructiones varias, & plura alia. exempla minùs fausto eventu sumti hujus sanguinis videri pluribus possunt in *Ephem. Germ. ann. 9. & 10. Dec. 1. obs. 149.*

Si *Epilepsia* sit per consensum talis, à corde, hypochondriis, liene, utero, mesenterio, hepate; attendenda sunt remedia foco debita. Sic e.g. pro expediendo malo in utero, hypochondriis, valent R& Cyd. *Wedel.* Ea volatil. elix. prop. &c.

Cachet. &c. M.S. antiscorb. elix. titerin. & s. absorb. V. S. debite instituta, & alia facile pro ratione partis affectarum & aliarum circumstantiarum, addenda.

Externā ad discussionem materiæ morbificæ & roborandum tonum partium, varia habentur.

Pro cūcuphis commendantur serpill. beton. rosmari. fl. lit. convall. flæch. Arab. md. irid. Flor. Cyper. rot. rhod. succinum, & alia ex cephalicis convenientia.

Linimenta naribus, temporibus, umbilico & spinæ dorsali admoventur ex balsam. & is, & ab nervinis praeced. cap. allatis.

Emplastrum bregmati raso appropriata possunt applicari.

*Suffimenta oleosum, subtilem & sum spirantia odorem in usu sunt. prioris generis instar omnium est suffimentum Epilept. Myrs.: posterioris verò Θ * ci, item Θ * lixivio saponarium injectum.*

Amuleta ad eundem modum judicanda sunt, usum aliquem in lymphæ ichore elasticō, nervisque debilibus corrīgēndis, habentia. commendatur in hunc finem md. pæon. à quibusdam: sambuc. è salice proveniens ab Hartmanno in prax. chim. e. de epil. p. 69: ab aliis ungula alcis in annulum formata, nè plura memoremus.

Ultimum jam est, ut Diætæ regimen brevibus superaddatur:

Aër itaq; sit serenus, temperatus & purus; vel talis si non adsit, arte ex suffumigiis, thur. mastich. &c. paretur. Mutatio- ne regionum & aëris, posse curari morbos comitiales in juve- nibus, testis est aph. 45. sect. H. simile quid etiam præcipitur VI. epid. V. 36.

Cibus sit modicus in quantitate; in qualitate εὐχυλός καὶ εὐπεπλός: condiantur probè, nec vaporosa, quæ caput re- plent, assumantur. hinc

Vinum in nimiâ quantitate nocet; ast modicè assumtum, si ventriculi viriumque imbecillitas idem expetere videatur, concedi potest. Cerevisia sit probè defæcata, nec nimio lupu-

lo condita. imò conductit in genere potus tenuis, & medicatus nervinis redditus.

Inedia maximè vitanda, quippe facile ex illâ vitiosi & acres geniti humores superiora irritare, & malum epilepticum producere, apti nati sunt.

Somnus sit moderatus, capite non nihil elevato, nocturnus, corpore bene tecto, in lecto molli, non diurnus, nec mox à cibo. vigiliis corpus non maceretur. lucubrationes ad medias noctes proscribantur.

Motus & exercitia corporis itidem non excedant modum, potius ante, quam post cibum instituenda. in illâ in specie epilepsia, quæ auram adscendentem agnoscit, motus corporis, ambulatio & equitatio commendantur, si modicè instituantur.

Alvus sit aperta, quæ muneris sui oblita arte sollicitetur.

Venus cum epilepsia parva nominetur, minus in affectu epileptico convenit, si malum sit essentiale; ast si fiat epilepsia annis crescentibus, à semine, vel menstruis retentis, nullum præsentius auxilium qe, adeoque conjugio habetur.

Animi denique pattemata, ira, metus, terror subitanus, solicitude nimia exesse debent; contrà hilaritas & recreatio animi honesta omni studio quærenda.



Ulem docuit, multaque insignem reddidit arte
Pregela, Boesiaden dignis amplexibus alma
Sala fovet. Geminâ matre hâc nutritus alumnus
in decus emicuit Phœbi; decus arrogat ergo
ipse & sarta parat, jam fulgida purpura præstò est,
famaque, virtutem comitans, didenda per orbem.

Nobiliss. Un. Doctorando Dignus! & Feliciter! acclamatio, in iudicando honorum meritis morum successus amimitus exortans

Georg. Wolfg. Wedelius, D.
Acad. Rector.